

SECOND TRACT

§2.3.0

Third Article of the Second Tract

The conclusions of the third and final article will reveal whether the duke merits being called a tyrant.

§2.3.1

1st conclusion. He who takes over power to govern by force, without legal sanction, is said to be a tyrant.

§2.3.2

2nd conclusion. He who does not possess the right to govern by virtue of the law, nor been endowed with that right by someone competent to do so but assumes governance in public matters, is deemed not to rule legally but as a tyrant.

§2.3.3

3rd conclusion. Violent seizure of public rule by means of sedition, presumption, or popular acclaim is called tyranny.

§2.3.0

TERTIUS ARTICULUS

Secundi Tractatus.

Nunc verò ultimus & tertius articulus per conclusiones reserabitur subsequentes in quibus videbitur an idem dux tyrannus mereatur nuncupari.

§2.3.1

Prima conclusio, quòd qui non iure se intrudit alicui publicae administrationi in re publica, ex hoc est propriè & dicitur tyrannus. Probatur conclusio ex definitione tyrannica, quam ponit Gregorius in libro undecimo morali, [PENDING] dicens & deffiniens quòd tyrannus est qui in republica non iure principatur. Insuper tyrannus esse convincitur qui magnificos & potentes regni & prudentiores perimit & quietem populi perperdit, supposita regni disperdit, illisque sua violenter & bellicè subripit, ut habes latiùs in his quae dicit Philosophus in iv. polit. [@@Aristotle, Politics, 4] & etiam in viii. ethico. [Aristotle, [Nic. Ethics, 1295a], & habetur in iii. de regimi. princip. [Aeg. Romanus, De reg. prin., III:2, 5] seriòsiùs.

§2.3.2

Secunda conclusio, quòd ille (qui non habet auctoritatem regiminis à iure aut ab homine, cui ad hoc competit potestas, ille si principetur vel regat in re publica) dicitur non iure regere & principari, & consequenter tyrannus. Probatur conclusio quia non intrat per hostium & ideo fur est & latro, Ioan. 10 capit. [John, 10, 1] pro hoc optimè c. licet, de electio [Decretales, 1, 6, 6], & c. in nomine, xxiii. distinctione [Decretum, I, 23, 1], ubi patet quòd non iure electus in summum pontificem (si principatui & regimini se intrudat) dicitur non iure dominari, & consequenter tyrannus per praedictam conclusionem.

§2.3.3

Tertia conclusio, quòd intrudens se violenter per seditionem, praesumptionem, populivè⁹ exclamationem, regimini publico tyrannus dicitur. Probatur conclusio, in prima sui parte, per

⁹ The Bonaud edition reads “ue”, which stand isolated at the beginning of a new line of text; the Hotman editions assume that the “u” must be a mistake for a “v”, and that the resulting “ve” (an enclitic “or”) should be conjoined with “populi” (the last word of the previous line in the Bonaud edition) giving “populive”.

SECOND TRACT

§2.3.4 *4th conclusion. Not only he who does not owe his administration to lawful right, but also he to whom the place is not owed but takes it by force is a tyrant and should be labeled as such.*

§2.3.5 *5th conclusion. Not only is he a tyrant & traitor who opposes his king by deed and word, but also he who, in the name of the king—be it without his wish or against it—forces his way into public governance to which he is not competent.*

eymologiam vocabuli. Tyrannus enim dicitur à Tyro, quod est fortis, quia per fortitudinem facti (quae vis dicitur) dominatur, secundum Ioannem Ianuensem in dictionario [PENDING]. Secundum probatur in c. in nomine domini, xxiii. distinctio [Decretum, I, 23, 1], ubi dicitur quòd si quis per seditionem praesumptionem vel quodlibet ingenium se intruserit, sicut anti christus, in vaso ar & destructor arceatur, etc. Tertium probatur per l. si privatus, D. qui & à quibus libe. ma. [Dig., 40, 9, 17] & viii. quaestione, i., si ergo [Decretum, II, 8, 1, 15] & l. decurionum, C. de poenis [Cod., 9, 47, 12], ubi patet quòd ad clamorem populi nihil faciendum, nullusve eligendus, quia populus docendus est, non sequendus lxii. distinct. docendus [Decretum, I, 62, 2] Vanae enim voces populi non sunt exaudiendae, ut d. l. decurionum [Cod., 9, 47, 12] & pro praemissis c. ocyus. de melect. [Decretales, I, 6, 2].

§2.3.4 Quarta conclusio, quòd nedum qui administrationi non iure debita, sed & qui loco non sibi debito, aut sedi se intrudit, tyrannus est, & debet appellari. Probatur xciii. dist. c. fina. [Decretum, I, 93, 25] ubi dicitur, quod si diaconus ante praesbyterum locum sedendum usurpet, ut tyrannicè agens à proprio gradu repulsus, ultimus omnium fiat in ordine suo, ut d. c. fin. [Decretum, I, 93, 25].

§2.3.5 Quinta conclusio, quòd non solùm ille tyrannus est & proditor contra suum regem qui re & verbo se opponit contra illum sibi administrationem aut dominum assumendo, sed etiam ille qui sub regi nomine praeter aut contra illius voluntatem aut aliter regimen publicum sibi non competens assumens in eo violenter se intrudit. Probatur conclusio per i., ii., et iii., § quive., ad legem Iuli maiesta. [Dig., 48, 4, 2 & 3] Et ratio huius est quia secundum Gregorium simulata aequitas est duplex iniquitas, & gravius est simulare propositum quàm discedere à proposito xii. quaest. ii. certè [Decretum, II, 12, 1, 18]; & de his dicitur in Evangelio: Multi dicent, etc. Domine in nomine tuo propheta[47r]mus, etc., & confitebor illis, dicens nunquam novi vos. Matt. xii. c. [Matthew, 7, 22], quia multi venient in nomine meo, etc., & multos seducent, Matth. xxiv. capite [Matthew, 24, 5]. Dicunt enim, & non faciunt à foris apparentes iusti, intus autem pleni omni iniquitate, Matthaei xxiii. cap. [Matthew, 23, 28], iuxta illud Psalm [Psalms, 61, 5]: Ore benedicebant, corde autem maledicebant. Falsus enim est qui nunquam habuit mandatum aut habuit sed est revocatum, ut l. falsus, C. de furtis [Cod., 6, 2, 19], & ibi per gloss. igitur tyrannus est qui se intrudit in republica sine potestate, aut cum potestate revocata pro quo diffinito tyranni supradicta in prima conclusione, & quia non intravit talis per hostium, igitur, etc., Ioan. x. ca. [John, 10, 2].

SECOND TRACT

- §2.3.6 *6th conclusion. Even if the king and his primogenit suffer under the rule of a tyrant they cannot expel, he is nonetheless a tyrant.*
- §2.3.7 *7th conclusion. A tyrant tyrannizing against the his prince or the republic commits the crime of lese majesty.*
- §2.3.8 *8th conclusion. Obedience is not owed to a tyrant, but rather resistance to him as an enemy.*
- §2.3.9 *9th conclusion. Any and all judicial actions taken by a tyrant and his accomplices during the time of their tyranny are ipso facto void.*
-

- §2.3.6 Sexta conclusio, quòd licet rex aut primogenitus eius, patiatyr tyrannum regere vel principari eo quòd non potest expellere & nihilominus tyrannus est. Probatur conclusio per l. decernimus, de sacrosanct. eccles. [Cod., 1, 2(5), 16(15)], ubi patet quòd licet imperator passus fuerit tunc tyrannum regere, nihilominus tyrannicè dicebatur principari, ut ibi patet in tex. facit l. i., §quae onerandae, qua rerum actio non datur [Dig., 44, 5, 1], ubi pater quòd metu vel reverentia gesta non habent consensum prejudicativum, et hanc conclusionem ponit Bald. [PENDING] in dicta l. decernimus [Cod., 1, 2(5), 16(15)].
- §2.3.7 Septima conclusio, quòd tyrannus tyrannizans contra suum principem vel rem publicam crimen laesae maiestatis committit illius poenis plectendus. Haec conclusio probatur quia se opponere contra principem supremum vel eius officarium aut rempublicam est formaliter crimen laesae maiestatis, ut l. i. & clarius in l. final, §i., ad legem Iuliam maiest. [Dig., 48, 4, 1 & 11]. Et hanc conclusionem ponit & sequitur Bart. in suo trac. de tyranno. [PENDING]
- §2.3.8 Octava conclusio, quòd nulli tyranno & intruso est obediendum sed in resistendum ut hosti & inimico. Probatur conclusio quia hostis est, ut l. fi., ad leg. Iul. maie. [Dig., 48, 4, 11] & l. quos nos., de verbor. signific. [Dig., 50, 16, 234] sed hostem capere, repellere & perimere licet, igitur & per hoc. c. i. et ii., xcii dist. [Decretum, 1, 92, 1 & 2], ubi habetur expressè quòd intruso in dignitate vel administratione non est obediendum sed resistendum.
- §2.3.9 Nona conclusio, quòd quaecunque acta & gesta iudicialiter vel extra per tyrannum eiusve complices auctoritate vel occasione tempore tyrannidis sunt ipso iure nulla, ut l. decernimus cum gloss., de sacrosanct. eccles. [Cod., 1, 2(5), 16(15)], & Bald. [PENDING] ponit hanc conclusionem & Barthol. in tract. de tyran. [PENDING] iudicia enim violenta videntur ipso iure nulla, ut l. ii., in prin. D. de iudi. [Dig., 5, 1, 2]

SECOND TRACT

§2.3.10 *10th conclusion. A tyrant who forces himself upon the kingdom is to be got rid of, just as would be an antichrist invading and wracking the kingdom; and likewise be deprived of all ecclesiastical and secular dignities; and feel the unremitting animosity of the king and the kingdom, whose inhabitants should forsake him.*

§2.3.11 *11th conclusion. Those who are obedient to and sympathize with the tyrant, or give aid to him, should be punished along with him.*

§2.3.12 *12th conclusion. Inhabitants may kill a notorious tyrant and destroyer of the kingdom, just as they would any enemy.*

End of the Second Tract

§2.3.10 Decima conclusio, quòd tyrannus quilibet & intrusus in regno vel eius administratione est ab omnibus abiiciendus, sicut & antichristus invasor & destructor regni & ab omni gradu dignitate ecclesiastica & seculari (ut indignus est) omnino deponendus, regis & regni (quorum vitam & statum confundit) furorem debet sentire perpetuum habitationésque eius debent fieri desertae, ut in eis non habitet alter & filii eius orphani, uxórque eius vidua, totum regnum pugnet contra eum & omnia elementa sint ei contraria, sicut haec pleniùs differuntur xxii dist. in nomine Domini [*Decretum*, I, 23, 1], & c. licet, de elect. [*Decretales*, 1, 6, 6] & haec ubi capi tyrannus non potest aliter aut patiatu poenas mortis & criminis laesae maiestatis quando tyrannizat contra regem aut regnum cuius est subditus sive membrum iuxta supradicta.

§2.3.11 Undecima conclusio, quo omnes obedientes adherentesve tyranno huiusmodi, aut illi auxilium conferentes penam pati, et eadem cum tyranno sunt plectendi. Probatur conclusio in c. in nomine domni preall. [*Decretum*, Dist. 23, c.1], pro quo l. quisquis, ad le. iuli. maie. [*Cod.*, 9, 8, 5] et c. felicis, de pe. [*Lib. Sext.*, 5, 9, 5] ubi conicii, fautores etc. similem et eandem penam pariuntur, et de hoc dicetur in trac. sen pro quo bene illud quod habetur Apoca. xiv. [*Revelation*, 14, 9], ubi dicitur "si qui adoraverit bestiam et imaginem eius, et si qui acceperit characterem eius," etc.

§2.3.12 Duodecima conclusio quòd unicuique regnicolae licet interficere notorium tyrannum destructorem reipublicae sicut & quemlibet hostem. Probatur conclusio, nam talis est destructor regni & invasor, Igitur & quilibet illum occidere potest, ut l. i. et ii., quando licet uni. [*Cod.*, 3, 27, 1 & 2], ubi dicitur quòd unicuique est licentia contra latrones [47v] publicos desertorésque militiae, pro quiete communi exercendae ultionis, id est vindicta, etc., & in c. praealleg. in nomine [*Decretum*, I, 23, 1] dicitur orbis terrarum pugnare contra eum, &c., & omnia audientia illi interdicitur, ut ibidem, igitur, etc. Quoniam verò dictus propria temeritate sine quavis potestate per varia commenta (ut praetactum est) regimini regni se intrusit sub confictis nominibus contra & praeter voluntatem regis & illustris eius unigeniti & magni regii consilii, supremos, officarios

SECOND TRACT

& palatinos alios, ac viros alios regni praeclaros & prudentes per stragem, horrendam seditionem perimendo & bona cunctorum rapiendo, ecclesias violando & ecclesiastica bona diripiendo & aliter hostiliter & cum armis regnum destruendo contra rem publicam & bonum commune se opponendo guerram hostiliter contra dictum unigenitum & eius fideles diutiùs faciendo, sequitur & apertè ostenditur quòd est tyrannus crudelis^{†g^l} non enim intravit per hostium in ovile ovium ideò fur est & violentus latro, Ioan. x. [John, 10, 1]. Nam per seditionem, strages, & popularium vilium exclamationem (sicut praedictum est) illud regimen occupavit & consequenter ut tyrannus est poenis legitimis & canonicis plectendus, haec enim actus sunt tyrannorum secundum philosophum [Aristotle, *Politics*, 1310b] & Egidium de rei. princi. lib. iii. [Aeg. Romanus, *De reg. prin.*, III:2, 7]. Igitur talis censendus est, nam ex factis & dictis talis quis esse probatur, ut l. is qui, de tutori. & cura. da. ab his [Dig., 26, 5, 12]. A fructibus eorum cognoscetis eos, etc. Amen

Secundi Tractatui Finis. [48r]